

pula altero conjuge absente cogitans in re cogitata morose delectetur; S. Anton. par. 2, tit. 5, cap. 1, § 6. Cajetan. verb. *Delectatio morosa*, § *Tertium est*; Paludan. in 3, d. 9, quæst. 3, art. 1. Vasquez disp. 113, cap. 2. Medina q. 74, art. 3. Sanchez lib. 9, de Matrim. disp. 44, num. 4. Sporer loc. cit. n. 43. Layman lib. 1, tract. 3, cap. 6, num. 12 et 14, et alii plures. Et ratio est, quia mortalis malitia Delectationis morosæ sumenda est ex malitia objecti, sive rei cogitatæ; copula autem maritalis malitiam non habet cum sit ab intrinseco licita conjugibus, et per accidens solum ab extrinseco nempe ob absentiam, vel simile impedimentum, pro tunc nequeat exerceri, adeoque de eo morose Delectari in absentia alterius conjugis, non est peccatum mortale. (26. Est tamen peccatum veniale, ut inquit Cajetanus, cum nec necessitas, nec pietas talem Delectationem suadeat. Peccat autem semper mortaliter conjux, dum in actu conjugali cum propria conjuge morose Delectatur in imaginatione alterius personæ sibi mentaliter confictæ quasi præsentis loco conjugis; est enim objectum hic et nunc tali conjugi mortaliter illicitum; sic Doctores communiter.

(27. Delectatio morosa venerea, et directe voluntaria, tam ex copula futura cogitata, quam ex cogitationibus, aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus libidinosus est sponsis prohibita sub mortali; Navarrus c. 16, num. 9. Layman loc. cit. num. 13. Sporer l. c. n. 41. Sanchez l. 9, de Matrim. disp. 47, conclus. 1, cum pluribus aliis. Et ratio est, quia Delectatio venerea tendit in copulam, ut præsentem, et pollutionem reipsa inchoat, sed copula est sponsis pro eo statu adhuc mortaliter illicita, ergo et Delectatio venerea sensibilis. (28. Oscula autem, tactus, et amplexus non impudici licite fiunt inter sponsos, quando fiunt secundum consuetudinem patriæ, in signum benevolentiae, ad conciliandum et fovendum mutuam amorem in ordine ad matrimonium, quamvis præter intentionem, et secluso periculo consensus, sequeretur commotio nonnulla sensibilis; Navarrus cap. 16, num. 12. Galet. tom. 1, tract. 10, num. 671. Perez, disp. 8, sect. 9, num. 4. Sporer loc. cit. num. 41. Sanchez lib. 9, de Matrimonio disp. 46, num. 47, cum multis

eo gravius peccabitur, quo actio erit proximior pollutionis periculo, aut ipsi pollutioni; excusandi tamen a mortali non videntur conjuges, illi, qui invicem absentes hujusmodi Delectationes exceperint, libenter, ac non sine mora prægustent, sentientes in se non levem commotionem spirituum, ac partium generationi inservientium; siquidem hæc secum ferre videntur proximum pollutionis periculum, aut potius non longe abesse ab ipsa pollutione; quod ad constituendum mortalis peccati reatum abunde sufficere, nemo vel leviter dubitare poterit. Præterea in hisce rebus, in quibus vel cum maxime humanæ conditionis imbecillitas sentitur, ab uno ad alterum quam citissime gradus fiet; ac proinde nisi carnales ac sensibiles commotiones in hujusmodi delectationibus reprimantur, statim erumpent in venereas voluptates, indeque in detestabiles pollutiones; ac proinde ipsas hujusmodi commotiones carnales, ac sensibiles non sine mora, ac gustu exceptas secum ferre proximum

aliis (1). (29. Cavendum tamen est, in istis osculis, tactibus et amplexibus habeatur illa Delectatio carnalis et sensibilis, quæ merito fuit damnata ab Alexandro VII, 18 Martii 1666, in propositione 40, in ordine ibi: « Est probabilis opinio, quæ dicit tantum esse veniale osculum habitum ad delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis. » (30. Viduæ mortaliter peccant si voluntarie consentiant in motum Delectationis sensitivæ, qui ex recordatione copulæ maritalis naturaliter oritur. Est communis cum Sanchez cit. disp. 47, concl. ult. Sa verb. *Luxuria* n. 12. Navarr. cap. 16, n. 9 et 10. Silvester verb. *Delectatio* q. 3. Sporer loc. cit. num. 42. Layman. loc. cit. num. 13. Et ratio est, quia viduis non est amplius licita, immo nec possibilis illa copula Delectabilis, adeoque nec licita erit actualis Delectatio venerea, et sensibilis de ipsa.

(31. Nec valet dicere, quod sicut licet conjugibus Delectari sensibiliter de copula præterita et futura, ita debet licere Viduis de præterita et sponsis de futura; Non valet, inquam, quia non currit paritas; conjugibus enim semper licita est copula, et ideo etiam Delectatio ejus; at sponsis pro eo statu nondum licet copula, quamvis post contractum Matrimonium sit eis licitura. Et sic Viduis non amplius licet copula, quamvis pro tempore sui Matrimonii eis licuerit; adeoque cum non eis sit licita copula, nec eis erit licita venerea et sensibilis Delectatio de ipsa. (32. Licita tamen est eis Delectatio rationalis. Possunt enim Viduæ habere gaudium, approbationem ac Delectationem rationalem tantum voluntatis de copula præterita, et Delectatione annexa; cum enim licita eis fuerit illa copula et Delectatio, non tenentur illam modo reprobare, vel detestari, ut omnes concedunt. Sic sponsi possunt habere desiderium, gaudium, et Delectationem rationalem de copula futura, ejusque Delectatione capienda; cum enim ex ipsis sponsalibus contractis talis copula et Delectatio aliquando futura sit eis licita, non tenentur eam aversari, vel de ea tristari, sed licite possunt de ea delectari Delectatione rationali, dummodo caveant ne capiant De-

pollutionis periculum, atque inde mortali crimini adscribi perquam rectissime, nemo est, quin perspiciat. (EDIT. NEAP.)

(1) Tuta esse non videtur opinio asserens licita oscula licitosque tactus, et amplexus inter sponsos ad sibi mutuam conciliandum amorem, atque in benevolentiae signum, præsertim si timeatur aliqua sensibilis commotio ac Delectatio. Arduum sane esset in talibus circumstantiis declinare periculum consensus et Delectationis, unde tutissimum est monere sponsos, ut a similibus abstineant actionibus. Sane sensibilis in membris commotio cogitationem secum ferre solet mentis, et cogitatio Delectationem; et quamquam non repugnet dari motionem sine Delectatione, tamen ob maximam connexionem, quæ inter utramque intercedit, illicitum est sese exponere periculo excitandi motionem ipsam sensibilem per tactus, amplexus, etc. (NOT. ROM. THEOL.)

lectionem veneream sensibilem, et se exponant periculo consensus turpis, aut pollutionis; Sanchez cit. disp. 47. Sporer l. c.

DELEGARE, DELEGATUS.

SUMMARIUM.

1. Delegare idem est ac mandare, et committere. — 2. Vel delegare est alium in locum suum sufficere. — 3. Judex Delegatus quis sit. — 4. Judex Delegatus quomodo differat a Judice Ordinario. — 5. Judicium Delegatorum variae sunt species. Alii enim sunt Delegati a jure, alii ab homine. Delegati a Jure qui sint. — 6. Per hoc, quod dicantur Delegati a Jure, eorum Jurisdictio non est ordinaria, sed remanet Delegata, ad n. 7. — 8. Delegati ab homine qui sint. — 9. Alii sunt Delegati ad universitatem causarum, et alii ad causam solum particularem. Delegati ad universitatem causarum qui sint. — 10. Delegati ad causam solum particularem qui sint. — 11. Alii sunt Delegati ratione Dignitatis; et qui sint. — 12. Et alii ratione personæ; et qui sint. — 13. Alii sunt Delegati, et alii Subdelegati. — 14. Delegare possunt non solum Principes supremi, sed omnes Judices Ordinarii. — 15. Judex tamen Ordinarius non potest totam suam Jurisdictionem delegare, inconsulto Principe. — 16. Delegatus ab alio quam a Principe non potest causam alteri subdelegare. — 17. Potest tamen talis Delegatus alterum subdelegare, si sit Delegatus ad universitatem causarum. — 18. Delegatus a Principe supremo potest alteri causam subdelegare. — 19. Non potest tamen subdelegare causas graviores. — 20. Nec potest Delegatus subdelegare, quando jussus fuit, ut causam expediat per se ipsum. — 21. Nec quando in Delegatione apposita est clausula: Confidentes de industria, seu circumspectione tua et hujusmodi. — 22. Partibus tamen consentientibus, potest fieri subdelegatio, licet sit electa industria, et fideles personæ Delegatæ. — 23. Delegatus a Principe non potest alterum subdelegare, si nudum ministerium, seu mera executio sit ei commissa. — 24. Hinc Regulares Confessarii nequeunt subdelegare alii facultatem, quam ex privilegio Apostolico habent absolvendi fideles omnes a certis peccatis et censuris, et dispensandi in certis irregularitatibus et votis. — 25. Judices Delegati qui esse possint, vel non. — 26. Delegari potest etiam non subditus. — 27. Si Delegatus sit subditus, potest compelli etiam invitatus ad acceptandam delegationem. — 28. Si vero non sit subditus, non potest invitatus compelli. — 29. Delegatus Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus debet esse constitutus in aliqua dignitate Ecclesiastica, aut personatu, aut esse Canonicus Cathedralis. — 30. Aut esse Officialis, vel Vicarius Generalis Episcopi, seu Prior Conventualis. — 31. Nomine Prioris Conventualis veniunt hic etiam Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani, etc. — 32. Delegatus Episcopi, vel alterius inferioris Ordinis potest esse simplex Clericus non constitutus in dignitate, nec Canonicus Cathedralis. — 33. Immo etiam simplex Religiosus cum licentia sui Prælati potest esse Delegatus Episcopi. — 34. Episcopi, alique Papæ inferiores non possunt Laico Delegare causam spirituales. — 35. Immo neque possunt Episcopi causam spirituales Delegare Laico judicandam una simul cum Clerico. — 36. Neque Delegare possunt Laico causam criminalem Clericorum. — 37. Immo

(1) Censerem, omnem vel rationalem Delectationem tum sponsis de copula futura, tum Viduis de præterita, illicitam esse. Vix enim fieri posse inteligo, ut rationalis ista excitetur in mente Delectatio, quin mens ipsa in aliquem consensum labatur, ac Delectationem reipsa experiatur sensibilem. Mente facili negotio res istiusmodi distinguimus, ac secerimus; at dum unam ex istis actu experimus, vix

n. 41. Diana par. 3, tract. resol. 2, et alii passim (1).

neque possunt Episcopi delegare causas criminales Clerico conjugato. — 38. Possunt tamen Episcopi probabiliter Delegare Laicis causas Clericorum mere civiles. — 39. At secundum multos probabilius, nec etiam delegare possunt Laicis causas Clericorum mere civiles. — 40. Papa potest nedum causas civiles, et criminales Clericorum, sed etiam quasdam alias Ecclesiasticas delegare alicui Laico v. g. Regi. — 41. Non tamen tollere Clericorum exemptionem in totum. — 42. Delegati Jurisdictio, et officium expirat morte Delegati, si Delectatio fuit personalis. — 43. Secus si Delectatio fuit realis, seu facta contemplatione Dignitatis, et non personæ. — 44. Delegati Jurisdictio, et officium expirat morte Delegantis re adhuc integra; Secus autem si res non sit amplius integra. — 45. Ut non sit amplius integra, sufficit citatio partis facta per Delegatum ante mortem Delegantis. — 46. Immo sufficit, quod ante mortem Delegantis præcesserit citatio, licet talis citatio ad partes antea non pervenerit. — 47. Adducitur instantia ex cap. Relatum 19, de Offic. Judic. delegat. — 48. Solvitur talis instantia. — 49. Adducitur alia instantia. — 50. Solvitur hæc secunda instantia. — 51. Adducitur adhuc alia instantia. — 52. Solvitur etiam hæc tertia instantia. — 53. Delegati Jurisdictio cessat per cessationem Delegantis ab officio, re adhuc integra. — 54. Si Delegatus a Principe supremo intuitu Dignitatis suæ ab ea sit depositus, vel ei renuntiaverit, vel ad aliam Dignitatem sit translatus, tunc si res adhuc sit integra, expirat Jurisdictio subdelegati ab ipso. — 55. Si vero Delectatio a Principe supremo sit facta ipsi Delegato intuitu personæ, tunc re adhuc integra expirat Jurisdictio subdelegati solum per depositionem Delegati a dignitate, non autem per renunciationem, vel translationem delegati a dignitate ad aliam dignitatem. — 56. Delegati Jurisdictio, et officium expirat per renunciationem Delegationis suæ a delegante vel ejus Superiore factam. — 57. Princeps, seu Judex Ordinarius delegans potest delegationem libere revocare, etiam re non amplius integra. — 58. Delegatus a Principe supremo potest revocare delegationem in totum a se alteri factam solum quando res adhuc est integra. — 59. Si vero talis Delegatus non totam causam subdelegavit, sed solum aliquam ejus partem, tunc poterit re etiam non amplius integra talem subdelegationem revocare. — 60. Delegati Jurisdictio et officium cessat lapsu præfixi sibi temporis. — 61. Cessat etiam ejus Jurisdictio finito negotio, ad quod fuit delegatus. — 62. Cessat insuper ejus Jurisdictio, et officium, si ipse Delegatus tamquam suspectus legitime recusetur. — 63. Episcopus vel uti Delegatus S. Sedis, vel uti Ordinarius. — 64. Priori casu appellat ad Pontificem, secundo ad Metropolitanum. — 65. Priori casu, defuncto Episcopo, Capitulum non succedit, succedit in posteriori. — 66. 77. Quando Episcopus procedat tamquam Delegatus Sedis Apost. et quando tamquam Ordinarius. — 78. An Delegatus ab aliqua S. Congr. Urbis possit subdelegare. — 79. An successor Vicarii General. Delegati dici possit Delegatus. — 80. An prorogari queat Jurisdictio delegata.

possumus mentem continere, quin in aliam quoque excurrat. Quamobrem delectatio illa, quæ rationalis appellatur, nimium periculosa est, et Confessarii munus esse putarem, ut sponsos, viduasque moneat, ne talibus, licet rationalibus Delectationibus, se ullo umquam tempore eapi permittant. (NOT. ROM. THEOL.)

(1. Delegare est mandare et committere; l. 32. § *Quæsitum*, de arbitr. l. 3. § *Quamvis de admin. tut. leg. 1. de damn. inferen.* Et prout habetur in leg. *Delegare*, ff. de *Novat.* et in leg. *Nesennius 2. ff. de re judic.* (2. Delegare est alium in locum suum sufficere, verb. gr. si Titius, qui meus debitor est, debitorem suum Cajum substituat, ut pro ipso mihi solvat, dicitur is debitor Delegatus a Titio delegante; leg. *Si Titius 33. de novationibus.* (3. Inde veniunt Judices Delegati, id est suppositi, et suffecti a Principe, vel Judice ordinario, ut loco Principis audiant causas. Unde Judex Delegatus (qui extraordinarius appellatur, cap. *de cætero, de transact.*) est eui causa judicialis concessa est alterius vice, et auctoritate cognoscenda, ita ut jurisdictionem habeat derivatam a committentis jurisdictione, ut desumitur ex l. 1. § *Qui mandatum*, ff. de offic. ejus cui mandata est jurisdictio. (4. Judex Delegatus in eo differt a Judice ordinario, quod is propriam jurisdictionem habere censeatur, ideoque suo jure causas cognoscere ac definire possit, leg. *More 3. junct. Gloss. verb. Sub jure*, ff. de *Jurisdict.* Judex autem Delegatus non suo jure, sed alieno utitur; cit. leg. 1. § *Qui mandatum*, ff. de officio ejus cui mandata est jurisdictio.

(5. Delegatorum variæ sunt species, seu divisiones. Primo, alii sunt delegati a jure, et alii ab homine, delegati a jure sunt, qui delegatam jurisdictionem habent ex commissione juris communis, ut patet in cap. *Ad abolendum 9. § fin. de Hæretic.*, ubi facultas procedendi contra exemptos in causa hæresis datur Episcopis tamquam a Sede Apostolica delegatis, ibi: « In his, quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, et eis in hac parte tamquam a Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis) obsequantur. » Sic etiam patet in c. *Irrefragabili 13. § Cæterum, de offic. ordinar.* ibi: « Tamquam super hoc delegatus a nobis, » et in *Clement. 1. de supplend. negligent. Prælator.*, ibi: « In exemptis vero Apostolica auctoritate, » et in Conc. Trident. c. 1. sess. 5. *de reformat.* ibi: « Officium sit Episcoporum tamquam in hac parte a Sede Apostolica delegatorum; » et alibi sæpius. (6. Nec potest dici, quod si talis jurisdictio procedit a jure, ipsa sit ordinaria, et non delegata: Non valet, inquam, quia non obstante quod talis jurisdictio procedat a jure communi, adhuc remanet jurisdictio Delegata, cum committatur ipsis Episcopis; non sub ratione officii, sed per modum specialis commissionis seu delegationis, ut ipsummet nomen, tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, importat, et ut amplius a sensu contrario desumitur ex cap. *Licet in corrigendis 12. de Officio Ordin.* ibi: « Ab Episcopo, non tamquam delegato, sed tamquam Ordinario faciendis. » Et sic tenent in specie post Gloss. ult. in d. c. *Ad abolendam 9. de Hæreticis*, Glossa 2, in c. *Per hoc, eodem tit. in 6. Glossa in cap. 1. de Clerico ægrotant*, verb. *Auctoritate*, et utrobique Doctores, Abbas n. 13. et ibidem Marian. num. 14. et num. 37. in dict. cap. *Ad abo-*

lendam, Pavin. de potest. Capit. par. 1. quæst. 10. num. 3. Reiffenstuel lib. 1. de cis. tit. 29. num. 35. Barbosa de offic. et potest. Episcoporum. part. 3. allegat. 92. n. 3. cum pluribus aliis ibi citatis. (7. Qui insuper addunt Clausulæ hujus « Tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus » istum esse effectum, nempe quod in eo casu non fiat appellatio ab Episcopo ad Archiepiscopum, prout alias fieri posset, sed solummodo ad Summum Pontificem tamquam a Delegato ad Delegantem, prout etiam tradit Glossa in dict. cap. *Licet in corrigendis 12. de offic. Ord.* verb. *tamquam Delegatus.* (8. Delegati autem ab homine illi sunt, et ideo sic dicuntur, quia delegationem suam immediate habent ab homine, seu a Judice, vel Magistratu ordinario, ut sunt delegati specialiter a Papa, ab Imperatore, a Regibus, aut aliis supremis Principibus, vel Magistratibus.

(9. Secundo, alii sunt delegati ad universitatem causarum, et alii ad causam solummodo particularem. Delegati ad universitatem causarum sunt illi, quibus omnibus universim causæ, vel saltem certum genus causarum v. g. Matrimonialium, Mutui, Decimarum, et hujusmodi, sunt commissæ, quamvis cum restrictione ad certum tempus, vel locum, vel quantitatem, ut si v. g. alicui committantur omnes causæ Decimales cognoscendæ ad triennium, vel in tali Territorio tantum vel quæ non excedunt valorem viginti aureorum; Bartolus in leg. *Legatus 11. in 4. ff. de offic. Proconsul.* Pirhing lib. 1. Decret. tit. 20. num. 2. Reiffenstuel ibidem num. 31, et alii passim. (10. Delegati ad causam solummodo particularem sunt illi, quibus una tantum causa particularis hic et nunc emergens dijudicanda, et terminanda committitur; Reiffenstuel. loc. cit., et alii. (11. Tertio, alii sunt delegati ratione dignitatis, quam obtinent, ut si fiat delegatio Episcopo v. g. Alexandrino, Abbati cujusdam certi, et determinati Monasterii, non expresso nomine personæ delegatæ; cap. *Quoniam 14. de offic. et potest. Jud. Deleg.* (12. Et alii sunt Delegati ratione personæ suæ, et non dignitatis, ut si expresso nomine proprio fiat Delegatio Francisco Ferrerio, vel Antonio Molinario; Reiffenstuel loc. cit., et alii. (13. Quarto, alii sunt Delegati, quibus primo loco delegata, seu demandata fuit jurisdictio: Alii vero subdelegati, qui ab ipsis primo loco delegatis iterum delegantur; Thol. part. Jur. Canon. lib. 5, cap. 2. Pirhing loc. cit. num. 2, in fin. Reiffenstuel loc. cit. n. 39, et alii passim.

(14. Delegare possunt, seu potestatem delegandi habent non solum Principes Supremi, ut Papa, Imperator, Rex, Respublica libera, aliique suprema jurisdictione, et dominio gaudentes, sed etiam omnes Judices, seu Magistratus Ordinarii; Colligitur ex c. *Cum Episcopus 7. de offic. Judic. Ordinar.* in 6, ibi: *Per se, vel per alium*; leg. *More Majorum 5. leg. Solet 16. de jurisd. Omnium Judicium.* Et ratio est, quia omnis Judex Ordinarius habet propriam jurisdictionem,

et non tantum fungitur judicandi munere vice alterius, adeoque jurisdictione sine competente jure proprio, vel per se, vel per alium uti potest, quod enim potest facere per se ipsum, potest etiam per alium; Reg. 72. Juris in 6, ibi: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum. » (15. Judex tamen Ordinarius non potest totam suam Jurisdictionem alteri delegare, sive totum officium suum alteri committere sine sui Supremi Principis consensu; Felinus in cap. *Super Questionum 27. § Si vero*, num. 17, de offic. et potest. Judic. delegat. Sanchez lib. 3, de Matrim. disput. 31, num. 11. Maranta part. 4, speculi dist. 5, num. 53. Pirhing. loc. cit. num. 3. Reiffenstuel l. c. num. 56, et alii. Et ratio est, quia delegando alteri totam suam jurisdictionem, seu totum officium suum ipsi committendo, non tamen censeatur delegare, quam omnino abdicare se jurisdictione, seu officio suo ordinario, quod nequit fieri sine consensu Principis; leg. *penult. cum Gloss.*, ibi: verb. *Abdicando*, ff. de offic. *Præsid.* Tum quia Judex inferior Principe nequit propria auctoritate loco sui alium Judicem ordinarium constituere, hoc enim est singulare privilegium competens solummodo Principi suprema potestate et jurisdictione gaudenti; l. 2. *Fend. tit. 56. Quæ sint Regaliæ*, cap. unic. et colligitur ex c. *A Jud. 33. caus. 2. q. 6.* sed hoc faceret delegando alteri totam suam jurisdictionem, ergo, etc. Sic Pirhing et Reiffenstuel l. c. et alii.

(16. Delegatus ab alio quam a Principe non potest in causam alteri subdelegare; Ita Glossa in c. *Causam 62. verb. Delegatus*, de Appell. et ibi Abbas, num. 3. Fagnan. num. 2. Reiffenstuel loc. cit. n. 57 et 58, et communis aliorum. Habetur clare in cap. *Cum causam 62. de appellat.* ibi: « Cum non nisi Delegatus a Principe causam valeat alii delegare; » ex quibus verbis aperte dignoscitur, quod Delegatus ab aliquo, qui non sit Supremus Princeps, est penitus exclusus, cum non nisi Delegato Principis hæc potestas competere dignoscatur. Et ratio est, quia si quilibet Delegatus causam alteri subdelegare posset, hic etiam posset iterum delegare tertio, et iste quarto, et sic daretur processus in infinitum, quæ infinitas a jure expressa reprobatur; cap. *Cum in multis 2. de rescript. in 6. ibi: « Cum in multis juris articulis infinitas reproberetur, »* et sæpe alibi, ut exemplificat Glossa ibid. verb. *Multis.* (17. Potest autem talis Delegatus alterum subdelegare, si sit Delegatus ad universitatem causarum. Est comm., ut testatur Bartolus in leg. *more Majorum 5. n. 11. ff. de jurisdict. omn. Jud.* et tenent expresse Hostiensis in cit. cap. *Cum causam 62. de appellat.* num. 3, et ibi Joan. Andr. num. 6, et Barbosa num. 5. Fagnan. num. 2. Burius num. 11, et alii passim; et desumitur ex l. *Cum Prætor*, § 1, ff. de *judiciis*, ibi: « Is quoque, cui mandata est jurisdictio, Judicem dare potest, » ut sunt Legati Proconsu-

lum; ubi ly *mandata est jurisdictio*, debet accipi proprie, seu pro ea, quæ datur ad universitatem causarum, ex Glossa in leg. 1, ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio, verb. *Qui mandatam*, ubi expresse dicit, « Jurisdictionem mandari, quando universitas, sed delegari, quando species una committitur. » Et ratio est, quia Delegatus ad universitatem causarum quasi Ordinarius videtur, ut notat Glossa in dict. cap. *Cum causam 62. verb. Delegatus*, de appell., et ibi Fagnanus n. 4, cum variis aliis, atque æquiparatur Ordinario; arg. l. ult. § *Sin. c. Ubi, et apud quem*, et tenet Glossa in leg. ult. vers. *Cum specialis*, c. de *Judiciis*; immo Gloss. in cap. *Statutum*, § *Insuper* in verb. *Moderatas*, de rescriptis in 6, appellat eum Ordinarium, sicut etiam sic eum appellat Speculator in tit. de *Officio Ordin.* num. 2. Petr. de Ancharan. in cap. *Licet undique* col. 2, ad finem, vers. *Nec mirum* de offic. Delegat. et alii cum Fagnan. loc. cit. n. 4, 5 et 6, adeoque ad instar Judicis Ordinarii poterit subdelegare unam, vel alteram causam, quia Delegatus ad universitatem causarum, cum remaneat in essentia jurisdictionis universalis, idem potest quod Ordinarius, ut dicit Baldus in leg. *Si ut proponit*, in prima n. 10. Cod. *quomodo, et quando Jud.* et Fagnan. l. c. n. 5.

(18. Delegatus a Principe sua suprema potestate et dominio gaudente, potest alteri causam subdelegare; c. *Si pro debilitate 3. et c. Pastoralis 23. de offic. et potest. Jud. Delegat.* cap. *Cum causam 62. de appellat.* ubi expresse dicitur: « Cum non nisi Delegatus a Principe causam alii valeat Delegare, » et l. *A Judice*, Cod. de *judiciis.* (19. Dummodo tamen causæ non sint adeo graves, ut sine ipsius Delegati præsentia nequeant commode terminari; cap. *Si pro debilitate 3. de offic. et potest. Jud. Deleg.* pro causis enim tam gravibus præsumitur electa a Principe industria personalis, et specialis fides ipsius personæ Delegatæ; textu expresso in cap. *Quoniam*, de offic. Jud. Deleg. § *Is autem*, ibi: « Cum in his omnibus casibus industriam, et fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur. » (20. Sic etiam dicendum venit, quando Delegatus per se, vel suis manibus, causam expedire jussus fuit, quia tunc censetur electa præcise industria, et fides solius talis personæ delegatæ; l. unic. § *Ne autem*, vers. *Sin. vero talis*, C. de *caduc. tollend.* (21. Quæ specialis industria, et fides personæ Delegatæ censetur etiam electa, cum in Delegatione ponitur clausula: « Confidentes de industria, seu circumspectione tua » et hujusmodi. Sic Abbas in cap. *Quoniam 14.* num. 8, de offic. et potest. Jud. Deleg. Mascard. de probat. conclus. 595, n. 4. Menoch. de præsumptionibus, lib. 2, præsumpt. 42, num. 7. Sperell. dec. 106. Fori Ecclesiastic. num. 56. (22. Partibus tamen consentientibus potest fieri subdelegatio, licet fuerit electa industria, et fides personæ Delegatæ, textu expresso in cap. *Quoniam 4. de Offic. et potest. Jud. Deleg.* § *Is autem*, ibi: « Is au-



tem, cui inungitur, ut personaliter negotium exequatur, potest (dummodo partes consentiant) hoc aliis delegare. » (23. Delegatus Principis non potest alterum subdelegare, si ipsi non jurisdictione, sed nudum ministerium, seu mera executio a Principe sit commissa, adeoque merus executor sit constitutus; textu expresso in cit. cap. Quoniam 43, de offic. deleg. § Ceterum, ibi: « Ceterum (salva Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate) nulli, cui commissum fuerit prædicare Crucem (pro recuperatione Terræ Sanctæ) excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere penitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare, quia non sibi jurisdictione, sed certum ministerium potius committitur in hac parte. »

(24. Hinc habes, cur Confessarii Regulares, quibus ex privilegio Summi Pontificis concessa et demandata est facultas fideles omnes absolvendi a peccatis et censuris, et cum iis dispensandi in votis, vel ea commutandi, talem facultatem nequeant alteri subdelegare. Quia nimirum ipsis Regularibus Confessariis simplex et nuda jurisdictione ad certum exercitium absolvendi a peccatis et censuris, et dispensandi in certis votis et irregularitatibus, et non integrum officium jurisdictionis committitur. Is enim, cui non officium, sed nudum ministerium, seu simplex jurisdictione in ordine ad certos actus committitur, alteri subdelegare non potest sine speciali licentia committentis; ex citat. cap. Quoniam 43, de offic. Deleg. § Ceterum; et Glossa ibidem ut recte notavit Layman l. 5, tract. 6, cap. 10, n. 41. Coninck. disp. 8, dub. 4, n. 23. Pirhing l. 2. Decret. tit. 29, n. 25. Gobat tom. 1, tr. 7, n. 100.

(25. Delegari, seu esse Judices Delegati possunt generaliter loquendo omnes illi, qui nec natura, nec lege, nec moribus prohibentur; leg. Cum prætor, ff. de judiciis, et cap. Infamis 1, caus. 3, quæst. 7, ubi statuitur expresse, quod Judices dari nequeant omnes illi, qui ne Judices sint, impediuntur 1. Natura, ut surdi, muti, perpetuo amentes et impuberes, quia tales carent iudicio; 2. Lege, ut infames, et a Senatu amoti; 3. Moribus, ut servi et feminæ, nam moribus, seu longæva consuetudine receptum est, ut civilibus non fungantur officiis, ibi: « Tria sunt, quibus aliqui impediuntur, ut iudices non fiant: Natura, ut surdus, et mutus, et qui perpetuus furiosus est, et impubes, quia iudicio caret; Lege, qui a Senatu amotus est; Moribus, feminæ et servi, non quia non habeant iudicium, sed quia præceptum est, ut civilibus non fungantur officiis. » Unde ad hoc faciunt sequentes versiculi ab Hostiensi relati in Summa de offic. et potest. Jud. Deleg. n. 3, ibi:

Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama.
Ætas, qui subsit, committitur huic bene causa.

(26. Ex quibus clare patent conditiones in Iudice Delegato requisitæ. Et solum notandum venit, quod licet per ly qui subsit, de-

tur intelligi, quod non possit delegari invitatus, nisi qui de jurisdictione Delegantis est; cap. Pastoralis 11, de offic. Ordin. tamen per hoc non negatur, quin Iudex Ordinarius possit causas suas Delegare etiam non subdito, qui non est subjectus jurisdictioni Delegantis; sufficit enim, quod causa pertineat jurisdictionem Delegantis, licet is, cui talis causa Delegatur, non sit de jurisdictione ipsius; arg. l. unic. Cod. qui pro sua jurisdictione jud. dare: juncta Glossa ibid. verb. Resedissent, cit. cap. Pastoralis 11, de offic. Ordinarii, et Glossa ibid. verb. Nullum, et tenent Doctores communiter. (27. Hoc autem discrimen est, quod Iudex Ordinarius Delegans suum subditum potest ipsum etiam invitum compellere ad acceptandam Delegationem, ne alioquin inutilis videatur jurisdictione, ac potestas delegandi competens Iudici Ordinario sive Delegato Principis supremi; quamvis adhuc ipse Delegans in tali coactione deferre debeat personæ, ac dignitati delegandi, ut cavetur in citat. cap. Pastoralis 28, § 1, de offic. et potest. Judic. Delegat. ibi: « Potest compellere renitentem, eo quod jurisdictione illa nullius videretur momenti, si coactionem aliquam non haberet; Delegatus tamen (scilicet Supremi Principis) debet sollicite providere, ut si personis Superioribus (exigente necessitate) negotium duxerit delegandum, in coactionibus inferendis dignitati deferat et personæ. » (28. Quod si autem Iudex Ordinarius deleget non subditum non potest ipsum invitum compellere, quia præcipiente extra territorium impune non paretur; leg. Eum qui 13, juxta Glossam, verb. Magistratum, et l. ultim. ff. de jurisd. et cap. Ut animarum 2, de Constitutionibus in 6, ubi sic expresse habetur: « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » Delegatus vero Papæ, aut alterius Supremi Principis potest quemcumque sine justa causa recusantem compellere, ut suscipiat onus Delegati, cum gerat vices Papæ, cui omnes Christiani subsunt; cit. cap. Pastoralis 28, § 1, de offic. et potest. Judic. Delegat. Abbas ibidem num. 7, et alii communiter.

(29. Delegatus Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus debet esse constitutus in aliqua dignitate Ecclesiastica, vel personatu, aut esse Canonicus Ecclesiæ Cathedralis; cap. Statutum 2, de Rescript. in 6. (30. Aut esse Officialis, seu Vicarius Generalis Episcopi, vel Prior Conventualis; Clement. Et si principalis 2, de Rescript. ibi: « Et si principalis Officialis Episcopi, aut Religiosus conventualem obtinens Prioratum, quamvis ad Prioratum eundem Prior non consueverit per electionem assumi a Sede Apostolica, vel Legato ejusdem dari valeat Delegatus: In Officiali tamen Foraneo, aut Religioso Monasterii sui Priore claustrali, neque hoc volumus observari. »

(31. Sub nomine Prioris conventualis hic veniunt etiam Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani, alique omnes quocumque nomine nuncupati Superiores Conventuales Regularium, nam etiam isti censentur esse

in dignitate Ecclesiastica ad hoc ut esse possint Delegati Apostolici; Glossa in cap. Nullus, verb. Prælatum, de elect. in 6. Felin. in cap. Cum olim n. 1. de Majoritate, et obed. Jason. in rubr. ff. de offic. ejus, cui mandata est jurisdictione n. 9. Azor. Instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 20. prope finem, Massobr. de Synod. Diceces. cap. 4. dub. 13. n. 4. Sperell. decis. 167. n. 14. Barbosa part. 3. de offic. et potest. Episcop. alleg. 106 n. 15. Reiffenstuel loco citato n. 70. Pignatell. Francus, Germinianus, et alii.

(32. Delegatus autem Episcopi, vel alterius inferioris Ordinarii potest esse simplex Clericus, quamvis in dignitate non sit constitutus, nec sit Canonicus Cathedralis; Glossa in cap. Statutum 2, de Rescript. in 6. verb. Sedis Apostolicæ; Pirhing lib. 1. Decretat. tit. 29. num. 33. Reiffenstuel ibid. n. 72. arg. cap. Cum Episcop. 7. de offic. Ordinarii in 6. (33. Sic etiam simplex Religiosus cum licentia sui Prælati potest esse Delegatus Episcopi, quia in cit. cap. Statutum, sermo est de solis Delegatis Papæ, vel Legatorum ejus; Sanch. lib. 1. Moral. cap. 3. n. 77. Pirhing loco citat. num. 33. Ratio autem diversitatis quoad hoc inter Delegatum Papæ, et Episcopi est illa, quam recte cum aliis assignat Reiffenstuel loco cit. num. 73. quia, inquit, Episcopus melius potest cognoscere suorum Clericorum peritiam, et idoneitatem; quam si majorem agnoscat in simplici Clerico, nihil prohibet quin ipsum præ aliis in Dignitate constitutis, vel Canonicis Cathedralis, deleget; secus autem in Papa, vel ejus Legatis, qui utpote longe distantes nequeunt sic de facili simplicium Clericorum omnium idoneitatem cognoscere, unde expedit ut illos solos delegent, quos dignitas, vel personatus facit præ cæteris supponere idoneos. Hinc Concil. Trident. pro majori cautela statuit in sess. 25. cap. 10. de reform. quod quædam tales idoneæ Personæ in Synodo Provinciali designentur, ibi: « Statuit Sancta Synodus in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diocesanis aliquot Personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incip. Statutum, et alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam post hæc causæ Ecclesiasticæ, ac Spirituales, et ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur. »

(34. Episcopi, alique Papa inferiores non possunt Laico delegare causam spirituales; sic communis DD. Laici enim Ecclesiastica tractare negotia non possunt, cum hæc Episcoporum, aliorumque Prælatorum iudicio sint discutienda; textu expresso in cap. Decernimus 2, de judiciis, ibi: « Decernimus ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant; sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, et alii Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis (maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum iudicio non disponant: » concordat cap. Cum laicis 12, de rebus Ecclesiasticis. non alienand. alique consimiles Canones. (35. Immo neque possunt Episcopi causam spirituales,

seu Ecclesiasticam delegare Laico iudicandam una simul cum Clerico; Glossa in cap. Contingit 8, de arbitr. verb. spiritualibus. Pirhing loco cit. num. 34. ubi ex Abbate, et Julio Claro dicit esse communem. (36. Neque delegare possunt Laico causam criminalem Clericorum. Est etiam communis, testibus Julio Claro in Practica Crimin. lib. 5. § fin. quæst. 41. num. 5. Card. Tuscho lit. D. conclus. 146. n. 13. arg. cap. Si diligenti 12, de foro competent. et cap. Unico, de Cleric. conjugat. in 6. cum citatis iuris num. præced. et aliis concordantiis. (37. Immo neque possunt Episcopi delegare causas criminales Clerico conjugato, quia is regulariter tamquam merus laicus reputatur; Jul. Clarus l. c. num. 7. Card. Tusch. loco cit. et arg. cap. Unico, de Cleric. conjugat. in 6. (38. Possunt tamen Episcopi probabiliter delegare Laicis causas Clericorum mere civiles, ut pecuniarias, et similes; Sic Glossa in cap. Decernimus 2, de judiciis, verb. Non præsumant, ibi: « Clericum cuiuslibet Ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæcularem Iudicem attrahere, » ubi ut vides, prohibetur attrahi Clericum ad iudicem sæcularem solummodo absque Pontificis sui permissu, adeoque argumento a sensu contrario desumpto, proprii Episcopi accedente consensu id videtur permissum; colligitur etiam ex cit. cap. Decernimus, ubi statuitur solummodo, « ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant, » adeoque negotia non Ecclesiastica tractare possunt, præsertim ex delegatione Episcopi, cum sic istud nequiquam præsumant; immo prohibitio facta ibi Episcopis, ne laicorum iudicio disponant de negotiis Ecclesiasticis, videtur potissimum restringi ad illa, quæ spiritualia sunt, ibi: « Maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur; laicorum iudicio non disponant; » adeoque non videtur eis interdicta facultas delegandi Laicis causas Clericorum mere civiles, ut pecuniarias, et similes. Vide verb. Tutor, n. 27. (39. Fatetur tamen contrariam opinionem non carere sua probabilitate; quinimmo Reiffenstuel, lib. 1. decret. tit. 29. num. 89. ex Baldo, et aliis defendit eam ut probabiliorem, et n. 90. et 91. occurrit iuris, et objectionibus, quæ in contrarium solent adduci. Et Pignatell. tom. 2. cit. consult. 45. num. 3. pluribus adductis defendit ut veriorem, et dicit hanc haberi expresse in cap. Significasti 18, de foro competent. ubi in simili causa civili, nempe de pecunia mutuata dicitur Clericum non posse consentire in Iudicem non suum, etiam accedente Episcopi sui voluntate, nisi sit persona Ecclesiastica, ibi: « Clerici tamen in Iudicem non suum (nisi forte sit persona Ecclesiastica, et Episcopi Diocesanæ voluntas accedat,) consentire non possunt; » et sic expresse propter tale jus etiam sustinet: Glossa ibidem verb. Clerici; quod jus quia posterius est aliis pro alia sententia adductis, ideo dicit ipse, est attendendum. Eo vel maxime, quod, cum privilegium Fori sit commune toti ordini Clericali, sicuti